

107

105

111

101

116

096

156

056

206

006

Ende

Anfang

96

Hi praefati Sarraceni omnes subditi sunt Machometi legibus spurcissimis. Quamvis enim idola non adorent eaque et cultum eorum non patientur, aequa tamen mali sunt sicut idolatrae et peccatores non minus coram Domino, et autoritatibus sacris firmatus dicere audeo, quod Machometi sectatores Sarraceni sunt pejores, quam idolorum manifesti cultores et gravius peccant, magisque Deum offendunt. Quod aequentur idololatris in peccato, patet auct. Jeronym. Serm. 1. Gal. IV. Quomodo convertimur iterum ad infirma et aegra elementa legis dicentis: Observantia legis veteris, cui tunc dediti erant, peccatum paene par servituti idolorum. Et alio verbo ibidem: Non distat lex post Christum ab antiqua idolatria. Et si dicatur, ibi colitur Deus, hic vero diabolus. Deinde, quod quamvis hic, s. in lege, colatur Deus, tamen non eodem modo, quo debet. Et doctor sanctus 22. qu. 14. ar. 3 ad 3 dicit: quod observatio legis non est omnino aequalis idolatriae secundum genus peccati, sed aequalis paene, quia utrumque est species pestiferae (108 a) superstitionis. Ex quibus sic procedo: si Judaeorum peccatum, quo observant veterem legem tempore gratiae, est par et aequale paene peccato idolatriae et servituti idolorum, sequitur de necessitate, quod peccatum et infidelitas perfidorum Sarracenorum, observantium legem Machometi, non modo aequiparatur idolatriae, sed in malitia excedit. Constat nimurum, sectam Sarracenorum perversissimam non fuisse a Deo umquam datam, nec pro aliquo tempore bonam, sed superstitionem et falsam semper, legi quoque tam veteri quam novae contrariam et blasphemantem, atque a cultu Dei et vera fide abducentem. Quae omnia longe excedunt observantiam legis veteris Judaeorum, quam tempore gratiae adhuc observant, utpote quorum lex a Deo est data, pro tempore suo bona et necessaria illi populo tunc observanda, vera semper et legi novae non contraria, nec ipsa lex vetus blasphemat, sed figurat legem gratiae et veritatis, nec quantum in se est avertit a cultu divino, neque abducit, sed potius inducit, si vere intelligatur ad veram fidem catholicam. Sed si perlustretur lex Machometi in Alcorano, omnia praedicta et plura nefanda reperiuntur quibusdam bonis permixta et laudibus Christi et beatae Virginis Mariae et Evangelii, sed et fidem Christi dicit solam in finem mansuram in mundo, ut patet de Cibrat. Alcorani LIII. c. 17., et infinitos errores implicat, ut

